

1979-11-03 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Historicum ob Suum’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

HISTORICUM OB SUUM

**CATHEDRALE TEMPLUM ARCHIDIOECESIS DENVERIENSIS «AB
IMMACULATAE CONCEPTIONE» AD BASILICAE MINORIS TOLLITUR GRADUM**

Ad perpetuam rei memoriam. – Historicum ob suum momentum publice celebrata suamque pariter ob pulchritudinem late praedicata sedes cathedralis ab Immaculate Virginis Mariae Conceptione iam a primis initiis communitatis catholicae Denveriensis occupavit primum plane locum in pastoralis episcoporum navitate, in cotidiana fidelium vita, in sacramentorum operumque liturgicorum dispensatione. Eisdem vero laudes illustres – etiam coloratis vitris et effictis imaginibus et aeribus sacris largiter tributas – nuperius cumulavit immo duplicavit totius aedificii redintegratio atque accommodatio secundum Concilii Vaticani Secundi praecepta. Ut igitur ad ornatem sic novatamque archidioecesis propriae cedem principalem multo congruentior tandem accederet liturgicus honor ac decor, Venerabilis Frater Iacobus Vincentius Casey, Ordinarius ipse Denveriensis, ab hac censuit Apostolica Sede impetrandam illi templo nominationem ac dignitatem Basilicae Minoris. Expensa proin tum causa rogationis tum rei convenientia, dum confidimus maiorem hinc fluxuram esse catholici Denveriensis populi utilitatem Christianique nominis prosperitatem, Nos ipsi de Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino matura sententia deque potestatis apostolicae Nostrae plenitudine statuimus per hasce Litteras ut templum quod memoravimus Dei consecratum in honorem Beatae Mariae Virginis sub titulo Immaculatae Conceptionis intra archidioecesis Denveriensis fines, ad statum et condicionem Basilicae Minoris legitime evehatur singulis adiectis iuribus ac privilegiis quae aedibus isto nomine auctis iam rite conveniunt. Volumus tamen ut universa ea ad amussim observentur quae secundum Decretum a De titulo Basilicae Minors die VI mensis Iunii editum anno MCMLXVIII servari oportet. Contraries quibusvis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die III mensis Novembris anno MCMLCCIX Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*